



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**


Medit. 21. De Christi 1. accusatione apud Pilatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)

multi defectus nunc apparent leues, quos post, vbi ad mortem ventum fuerit, grauiores opinionem nostra cognoscemus, cum periculo sorte desperationis, nisi mature resipiscamus.

6. Quicunque ducti amore diuitiarum & temporalium commodorum discedunt à seruitute Christi, & ad sacerdolum reuertuntur, laqueo tenentur implicati ut Iudas.



## MEDITATIO XXI.

### DE PRIMA CHRISTI

APVD PILATVM ACCVSATIONE.

#### PVNCTA MEDITATIONIS.

*Ioan. 18.* I. *Iudei non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed manducarent pascha.*

II. *Pilato interroganti quam accusacionem afferent respondent: si non esset malefactor, non tradissemus eum.*

III. *Et cœperunt accusare. 1. quod subuerteret gentem. 2. prohiberet dari tributum. 3. diceret se regem.*

---

#### F I G V R A.

*Dan. 6.* PRincipes Regis Darii inuidentes Danieli, quod sibi prælatus esset, calumniis apud Regem oppresserunt, usque eo dum traderetur ad mortem.

PRO-

---

PROPHETIAE.

**E**XACVERVNT ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, *Psal. 63.*  
ut sagittent in occultis immaculatum.

*Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, Ps. 108.*  
& sermonibus odio circumderunt me, & expugnarunt me gratis.

---

DOCUMENTA.

1. **Q**UOMODO nos superioribus nostris non subiecti esse possumus etiam si non satis probi sint, cum videamus filium Dei tanta cum submissione stare coram Pilato: & quomodo nos terra & cinis aequalibus non cedamus, cum videamus Christum iudicem coeli & terræ, homini se submittere iudici Iudææ?
2. Patienter ferendum est, si qui ornati à nobis beneficijs, tamen aduersantur, & nos apud mundum accusant: idem enim à Iudæis passus est Christus: Nunc etiam quotidie patientissimè à nobis id patitur, qui cum tot ipsius beneficijs obligati simus, tam negligenter tamen illi seruiamus, sæpius etiam peccatis offendimus.
3. Si quod à nobis rectè factum est, in malam partem accipiatur: cogitemus & Christum ipsam veritatem, habitum atque appellatum esse seductorem & malefactorem.
4. Accusamus Christum, cum proximo nostro aut falsi aliquid imponimus, aut verum exaggeramus, aut sine causa alijs defectus illius aperimus.

5. Christum ut seductorem accusant iij, quos  
pœnit audisse eius inspirationes, & cœpisse  
ilius seruituti se dare: desiderantes videlicet  
redire ad ollas Agyptii.



## MEDITATIO XXII. EXAMEN PILATI.

### PVNCTA MEDITATIONIS.

- Mat. 27.* I. Pilato Prætorium ingresso ac rogan-  
*Mar. 53.* ti: An esset Rex Iudeorum? respōdit.  
*Luc. 23.* I. Regnum suum non esse de hoc  
*Ioan. 18.* mundo. Ulterius instanti, addit: se  
Regem esse, & in mundum veni-  
se, ut testimonium perhibeat veritati.  
II. Pilato Iudeis dicente se causam in eo  
non inuenire, accusabant eum Prin-  
cipes, Christo penitus tacente.  
III. Tandem inualescentes dicunt: Cō-  
mouit populum docens per uni-  
uersam Iudæam, incipiens à Ga-  
lilæa.

---

### PROPHETIAE.

- Psal. 2.* E GO autem constitutus sum Rex ab eo, su-  
per Sion montem sanctum eius prædicans  
præceptum eius.

Testem